UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LXXIX. Gregorii Papae I. Ad Evlogivm Patriarcham Alexandrinvm. De possessione ecclesiae, & lignis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Visual Library

EPISTOLA LXXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVLOGIVM PATRIARCHAM ALEXANDRINVM.

De possessione ecclesiæ, & lignis.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.

SCRIPTA dulcissimæ vestræ sanctitatis latore præsentium deferente suscepi, quæ mihi de eius causa citius terminanda locuta sunt. Sed mox vt venit, qualiter possessio quam quærebat ab ecclesia nostra tenebatur agnouit, sibique ipsi citius rationem reddidit. Ea autem quæ cum aliis habuit, sine strepitu decidit. De causa vero de qua mihi omnino scribendum fuerat, nihil vestra sanctitas scripsit: in qua me & tardum esse iudicauit: quæ ne fortasse in scandalo diuisionis erumperet, eiusdem diuisionis nolui auctor existere. Elegi enim vt ea quæ secutura sunt per alios exirent. Sed subsequenti tempore Deo auctore probabitis, quia in causa in qua Deo placere cupio, homines non formido. De qua vobis iam etiam in Constantinopolitanam vrbem venientibus scribere curaui. Ligna vero, sicut beatitudo vestra scripserat, maiora paraueram; sed ita parua nauis huc transmissa est, vt nisi rescissa essent, ferre non posset. Quæ rescindi nolui, sed vestro iudicio quid de his fieri debeat reseruari. Si autem non sunt necessaria vobis, hic ea in aliis vsibus aptabimus. Peto autem vt pro me enixius vestra sanctitas orare debeat; quia & podagræ doloribus, & barbarorum gladiis, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quod me contra aduersa omnia fortiter iuuabitis.

EPISTOLA LXXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNÆ.

Quid de Maximo agendum sit.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.

Grat. 2. q. 5. cap. 9. Ioan. diac. lib. 9. c. 13.

QVÆ de causa Maximi sint agenda, ex epistolis quas ad vos ante transmisimus agnouistis. Sed quia qualis hac

de